



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

Titvlvs XXIV. De officio Archipresbyteri.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

Archipresbyter; attendenda tamen hac in re Ecclesiarum particularium consuetudo.

§. II.

De officio, & potestate Archidiaconi in specie?

AD officium Archidiaconi, prout in Sacris Canonibus describitur; pertinet primò, ut sit Vicarius Episcopi in omnibus fori externi causis, tam intra urbem Episcopalem, quam extra existentis, & intra tertium quemvis annum totam diœcesin visiter, minora delicta puniat ac corrigat, majora ad Episcopum deferat *c. 1. h. t.* Secundò spectat ad Archidiaconi officium, legere Evangelium

in Missa solemni, si Episcopus celebret, vel saltem alteri Diacono legendum præcipere, & præcipuè Levitis circa Altaris Ministerium, ordinare hoc, & ad hoc ritè celebrandum competentes ministros instruere (saltem ubi viget talis consuetudo) *c. 2. h. t.* Tertio ad officium illius spectat custodire vasa sacra, & divinis usib⁹ dedicata, quia horum conservandorum suprema cura illi commissa est, *c. ea quæ 3. h. t.* Vide plura, quæ de jure communi ad Archidiaconi officium pertinent in *c. ad has 7. h. t.* & in *c. 4. ac 9. eodem* & in *Can. 9. §. Archidiaconus dist. 25.* nisi contradicat consuetudo, quæ pauca hodie Archidiaconis concedit.

TITULUS XXIV.

DE OFFICIO ARCHIPRESBYTERI.

ARchipresbyter ille dicitur, qui reliquis Presbyteris præest, & in ijs, quæ Sacerdotalis officii sunt, imperat, duplex autem est Archipresbyter, urbanus unus seu civitatis, qui in urbe Episcopali constitutus, omnibus Presbyteris, vel suæ Ecclesiæ præest, Cathedralis scilicet aut Collegiatae Ecclesiæ Decanus; alius verò est ruralis seu forensis, qui extra civitatem Episcopalem curam habet Presbyterorum, per diversos titulos dispersorum, & communiter Decanus ruralis dicitur. De his
sit

§. I.

De officio, & potestate Archipresbyteri civitatis, seu Decani Ecclesiæ Cathedralis, & Rectoris, seu Decani Ecclesiæ Collegiatae.

EJus officium est absentis Episcopi vices subire in illis, quæ Sacerdotalis officii sunt *c. 1. 2. & 3. h. t.* ubi etiam præcipitur Archipresbytero, ut aliorum Sacerdotum diligentem curam gerat in illis, quæ ad Sacramentum Eucharistiæ, ad Horas Canonicas, & Divinum Officium dicendum, ad custodiam Sacramenti Eucharistiæ, ad Sacramentum penitentia pertinet; de quibus omnibus

his rectius consulitur recepta consuetudo, quam jus commune, cui consuetudo derogari potuit: quæ consuetudo faciliè etiam docebit, quid jurisdictionis habeat Archipresbyter, cum enim spectato jure communi antiquo nullam ille habeat in foro externo jurisdictionem, habeat tamen jurisdictionem ordinariam fori interni in ordine ad omnes Dioecesanos, (saltem extra casus reservatos) ut patet ex c. 1. & 2. h. t. consequenter jurisdictionis fori externi, si quæ illi competit, ex consuetudine defumenda est, juxta quam nonnunquam idem est Archipresbyter cum Præposito Ecclesiæ Cathedralis, nonnunquam idem est cum Decano illius Ecclesiæ. De superioribus Ecclesiarum Collegiatarum, sive dein Decani, sive Præpositi vocentur, probabile saltem est, quod de jure communi illis competat ordinaria in Clericos sui Collegij in foro externo jurisdictionis, si à Collegio illi eligantur, & ab Episcopo confirmantur, juxta Gloss. in c. cum Ecclesiarum 3. V. Ecclesiastica sententia de off. jud. ord. exceptis causis criminalibus, & quæ privationem seu depositionem merentur, ac ob arduam Episcoporum jurisdictioni reservata sunt, consulatur consuetudo.

* *
*



§. II.

De officio, & potestate Archipresbyteri, seu Decani ruralis.

Officium illius ex c. ut singula 4. h. t. defumitur, ubi statuitur, ut Archipresbyterum habeant singulæ plebes, (quem nos Decanum ruralem vocamus) qui non tantum imperitæ plebis curam gerat, sed etiam Presbyteris, qui minoribus titulis seu Parochiis præsent, intendat, & quæ quisque industria opus divinum exerceat, ad Episcopum referat, qui cum solus omnibus Dioecesis suæ Presbyteris satis attendere non possit, Archipresbyteros constituit, dependenter à se omnia ordinantes. Et quamvis graviora ad Episcopum, vel ejus Vicarium Generalem referre debeant, habent tamen ad quædam minora expedienda cumulativè jurisdictionem, vel delegatam, si immediatè ab Episcopo constituentur, vel ordinariam, si à Capitulo rurali eligantur; & hinc non tantum fide professionem electi hi emittere debent, sed juramentum etiam præstare, quod officium suum fideliter administrare, Clericos suæ curæ commissos, & loca sacra visitare, Capitula congregare, quæ corrigenda videntur, corrigere, Clericorum ebrietates, & alia scandala impedire &c. Dignitatem tamen propriè dictam, aut Personatum non habent, ut possint esse Sedis Apostolicæ Delegati.